

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola LVI. Ioannis Papae VIII. Ad Petrvm Et Leonem Episcopos Venetiae.  
Vt Rauennam ad Concilium proficiscantur, in quo componendae sunt  
controuersiae, quae cum metropolitano nonnullis intercedunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

cum ecclesiam non audisse claruerint, erunt procul dubio, quemadmodum sacrosanctum de huiuscemodi præcipit euangelium. Illud autem ipse pro certo scito, quia nihil Matth. 18.  
pro vlo mortalium imminui ecclesiæ tuæ cupimus; sed de-  
cus & genium tuum veluti spectabilis, & Deum timen-  
tis viri, conseruari volumus & optamus. Vnde monemus,  
vt & ipse ad nos Rauennam profici ne pigriteris: sin  
autem, saltem virum quemquam industrium nobis gloriae  
tuæ iniuncta legatione fungentem dirigere non detredes.  
Data vi. Kalendas Iunii, indictione x.

## E P I S T O L A LVI.

## I O A N N I S P A P Æ V I I I .

A D P E T R V M E T L E O N E M E P I S C O P O S  
V E N E T I A E.

Vt Rauennam ad Concilium proficiscantur, in quo com-  
ponendæ sunt controversiæ, quæ cum metro-  
politano nonnullis intercedunt.

*Ioannes episcopus Petro & Leoni episcopis Venetiae.*

V NIVERSALE tandem aliquando nos celebrare Conci-  
lium, multiplex & multifaria nos ecclesiarum necessi-  
tas cogit; & ideo pro hac moderanda vel dispensanda,  
octauo Kalendas Iulias huius indictionis, totius Italæ  
apud urbem Rauennam conuenire iussimus sacerdotes:  
ad quorum videlicet sacratum collegium, pontificio no-  
stro mediante, vestram quoque sanctitatem occurrere  
commonemus, vna cum his, qui loco sunt episcoporum  
decedentium subrogati. Et illis nihilo minus, quos Vrsso  
glorioso duci, & vobis scribentes, nostris saepius & expres-  
sius significauimus syllabis, atque, vt absolute regulariter  
que fateamur, omnibus qui se laeos existimant: quos ge-  
neraliter auctoritate apostolica sanctitas vestra secum pro-  
peraturos aduocare profecto debebit. Itaque fratres indu-  
bitanter accedite, vt præter communem utilitatem, quæ  
in Synodo est procul dubio componenda, quidquid inter  
fratrem & coepiscopum nostrum Petrum videlicet metro-  
politanum vestrum, & prædictos controversiæ vertitur,  
canonicum finem accipiat; & pax & tranquillitas ecclesiis  
vestris, sicut condecet, reformatur. Non ergo carissimi

*Concil. Tom. 24.*

K

1. Reg. 15. tam sancto numerosoque fratrum deesse collegio patimini: quia nos, mihi credite, nullius vestrum casum exquirimus; absit. Verumtamen nisi ad hanc saltem præsignatam vniuersalem Synodum accesseritis, communi cunctorum sententia canonicis legibus subdemini, & pro tanta inobedientia merito puniementi. *Est enim*, Samuele sancto docente, *quasi peccatum ariolandi, repugnare; & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere.* Data vi. Kalendas Iunii, in dictione x.

## EPISTOLA LVII.

## IOANNIS PAPÆ VIII

AD ARCHIEPISCOPVM RAVENNATEM.

Præcipit ut cum suis suffraganeis ad Concilium accedat.

*Ioannes archiepiscopo Rauennati.*2. Tim. 3.  
Luc. 21.Mich. 7.Cant. 6.

**Q**VIA iam ad periculosa peruenimus ab Apostolo quin potius a Domino prædicta, proh dolor! tempora: *Surgit enim gens contra gentem, & sunt inter alia inimici hominis domestici eius: creuerunt inopinabiliter mala, & non solum extrinsecus rabie infidelium barbarorum atterimur; sed & intrinsecus peruersitate nequam Christianorum affici- mur.* Verum quanto crebrescant mala prauorum, tanto crescere debent bona rectorum. *Quæ profecto fieri nequeunt, nisi per commune fratrum collegium in idipsum corpore simul & mente conuenientium.* Est enim ecclesia Dei propter concordiam tam visibilibus, quam inuisibilibus hostibus omnino terribilis, & velut castrorum acies ordinata. *Quapropter tam pro ecclesiasticis quibusdam necessitatibus, quam pro statu & pro correctione reipublicæ, auctoritate apostolica decreuimus reuerendorum fratrum & coepiscoporum nostrorum Italici regni vniuersale, id est, totius prouinciarum, aduocare Concilium, locum autem nusquam ad hoc gerendum aptiorem & faciliorem, quam apud Rauennam vndique confluentibus inueniri posse perfeximus.* Occurrat igitur alacriter cum suffraganeis suis, quos ipsa conuenire commoneat, ad designatam urbem sanctitatis fraternitas, & tanto deesse Conuentui, quem scilicet ibidem octauo Kalendas Iulias, celebraturi sumus, nullo modo perferat, quo pullulantia in agro do-